

nuā pensio solvatur 150. florenorum. An est vitiosus contractus iste ?

Contractus hic est simoniacus ; hinc executioni dari non potest : jus enim Abbatix in Prioratum est res pure spiritualis, & pro pecunia vel pensione vendi non potest. *Pontas.*

NOTA. Certum non est, contractum de sola permutatione reddituum stabili esse simoniacum jure divino, aut reservatum Papæ.

**CASUS XXVIII.** Cajetanus obtentæ in ecclesia cathedrali præbendæ possessionem aditurus præsentavit se Capitulo, a quo tamen admissus non est, nisi solutis prius 100. florenis pro jure Cappæ ; quæ summa ab immemoriali tempore ab omnibus Canonicis ante aditam possessionem solvi consuevit. An commisit Simoniam ?

ꝑ. Concilium Tridentinum Sess. 4. de reform. cap. 14. damnat hanc praxin ; nisi id, quod exigi solet, impendatur ad causas pias, aut in utilitatem ecclesiæ. Hinc si Canonici istos 100. florenos inter se partiti sunt, Simoniam commiserunt. *Pontas.*

NOTA. Si prima divisio bonorum communium capitularium fuit justa, etiam reservatio aliquotæ ex qualibet præbenda erit justa.

**CASUS XXIX.** Ovidius obtenturus Prioratum, quem conferendi jus habet Diodorus, scit, Lucillum intimum Diodori amicum suis obtare votis ; hinc eum lucraturus aureum ipsi offert horologium, & hoc medio Prioratum obtinuit. Commisitne Simoniam ?

ꝑ. Cum mediante dono Ovidius obtinuerit Beneficium, ad quod nullum habuerat jus, evidens est, collationem hanc esse simoniacam. Lucius III. cuidam Præbato a majori Canonicorum capitularium parte electo, cujus amicum animum ejusdam capitularis pecunia inflexerat, ne electioni adversari pergeret, Cap. *Matthæus*. 23. Lib. 5. Tit. 3. sic rescripsit : *Quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum ; respondemus, quod multum tibi consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens : Nihil prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* *Pontas.*

**CASUS XXX.** Bartholomæus licet canonice in Episcopum fuerit electus, quinque tamen Canonici ipsi haud faventes absque omni legitima ratione obtulerunt illi, dum possessionem capere volebat ; quapropter illis 100. aureos secreto dari curavit, ut sese opponere desistant, qui & acqui-

evr.

everunt, & electus possessionem adlit. Commisitne Simoniam ?

ꝑ. Cum Bartholomæus per canonicam electionem jam acquiserit jus ad episcopatum, non commisit Simoniam. S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. sic ait : *Antequam alicui jus acquiratur in episcopatu vel quacumque dignitate vel præbenda per electionem, vel provisionem seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere : sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removeret.* *Pontas.*

**CASUS XXXI.** Christianus legitime consecutus est parochiam, ad quam & Cæcilius sibi jus arrogat, & Christiano litem desuper movet : ad hæc etiam Epigonius ex condicto cum Cæcilio Christianum de falso crimine accusat ; qui ut se redimeret de his vexationibus, cuilibet eorum donavit viginti aureos. An Simoniacus est ?

ꝑ. Juxta S. Thomam l. c. & S. Antonium 2. part. Summ. Theol. Tit. 1. c. 4. §. 2. Christianus absque peccato potuit se redimere a duplici ista vexatione ; cum jus legitimum habuerit in parochia. Ex hoc principio plures ejusmodi casus resolvi possunt. Cum autem in his occasionebus facile ignorantia aut prædominans passio intervenire possit, nemo in simili casu sibi met ipsi fidat, & quidpiam molitur nisi de consensu Episcopi. Quod attinet accusationem de crimine, eoque atroci ac vere commisso, licet eo fine fiat, ut Beneficiatus suo privetur Beneficio, non licet amoliri accusationem ope pecuniæ. *Pontas.*

**CASUS XXXII.** Episcopus præbendam contulit Narcisso, cui mox Palæmon vir contentiosus ac potens litem desuper intentaverat, quam Narcissus prosequi non valebat. Hinc Episcopus quietam Narcisso præbendæ possessionem cupiens hortatur Palæmonem, ut a lite desistat, ipsique, si obsequatur, munus Vicarii generalis & Officialis promittit. Accepit conditionem Palæmon ; sicque ipse Vicariatum, & Narcissus quietam præbendæ possessionem obtinuit. An non vitiosa est hæc transactio ?

ꝑ. Iniqua vexatio ac lis injusta considerari debet tanquam res vere temporalis, & dignitas Vicarii generalis ut res pure spiritualis : hinc Episcopus absque Simonia non potuit hanc dignitatem conferre Palæmoni ex memorata ratione, & hinc nec Narcissus secunda conscientia potest retinere præbendam. *Pontas.*

CA-

**CASUS XXXIII.** Melchior Clericus tonsuratus cum nollet restituere depositum centum aureorum a Titio Abbate sibi creditum, Abbas, ut suum recuperaret depositum, ipsi contulit Prioratum 250. florenos annuos redditus proferentem. Potuitne id fieri absque Simonia?

R. Juxta D. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 2. Abbas iste Simoniam committit. *Non est autem dubium, inquit S. Doctor, quod Simoniam committeret, si quis aliquod spirituale debitori suo daret, ut, quod suum est, recuperaret.* Pontas.

**CASUS XXXIV.** Vincentius jam ab aliquot annis titulum habens ad quemdam Prioratum, cujus redditus sunt 2000. floreni, statui clericali vult renunciare, & Mariam nepotem Pauli presbyteri, hæredem ditissimam, ducere in conjugem. Ut autem facilius Pauli, utpote tutoris Mariæ, consensum obtineret, declaravit illi, se ipsi resignaturum suum Prioratum, consensit in isthoc matrimonium. Anambo Simoniam commiserunt?

R. Hic casus nostris temporibus valde frequens est præsertim apud homines altioris conditionis; hujus autem solutio facilis est. Omnis conventio sive expressa, sive tacita resignandi Beneficium ex motivo principali consequendi commodum temporale pretio æstimabile reddit resignantem, & resignarium Simonia reum vel realis vel conventionalis; hinc in proposito casu Paulus & Vincentius Simonia reus sunt, ac censuras incurrerunt. Ast, si Paulus consensisset ex alio fine in dictum matrimonium, etiam Vincentius Prioratus resignationem non obtulisset, aut persuasus, Vincentium promissum non adimpleturum, tunc non censendus esset reus Simonia; cum resignationem Prioratus solum ex hoc motivo acceptarit, quia *gratis potest recipi, quod gratis offertur.* Verum cum homines in hoc puncto nimis sibi blandiri soleant, regulariter loquendo tales resignationes non sunt consulendæ, nec approbandæ. Pontas.

**CASUS XXXV.** Tichonius canonicatus, quo provifus erat, possessionem sumens cuilibet Canonico duas chirothecas distribuit vi consuetudinis immemorialis. An Simonia in hoc casu intervenit?

R. Sacra Congregatio Concilii Tridentini prohibet hanc consuetudinem ut contrariam Concilio Tridentino: talia enim munuscula, licet exigua, non ex sola liberalitate fieri videntur, aut sine pactione, quæ forsitan nomine & prætextu

textu consuetudinis latet, ut advertit Fagnanus in c. *Tua nos;* de Sim. n. 38. Pontas.

NOTA. Certe cum quilibet in Capitulum receptus debeat hæc solvere videtur ea lex fundari in natura originalis reservati.

**CASUS XXXVI.** Sylvianus Episcopus alteri Episcopo litem movit de jure collationis, & visitationis ecclesiæ parochialis in confinibus suarum dicecesum sitæ; tandem transactionem & conventionem inierunt, ita, ut uni sit jus visitationis, & alteri jus collationis. Num simonia intervenit?

R. Ut conventio inita sit immunis a simonia, requiritur, ut sit approbata a legitimo Superiore, & nunquam detur res temporalis pro spirituali. Hoc supposito, evidens est, conventionem, de qua hic agitur, non esse simoniacam: nam ipsi Superiores transactionem fecerunt. 2. Utrumque jus tam collationis quam visitationis est res spiritualis; hinc nullus alteri dat temporale pro spirituali. Committeretur autem simonia v. g. 1. Si Episcopus litigans cum Toparcha loci de jure patronatus terminaret litem hac transactione; ut sibi salvum maneat jus patronatus, cedat autem Toparchæ ligna cædua prius ad Beneficium pertinentia. 2. Si Episcopo litigante cum domino loci territoriali de jure piscandi aut vendendi, Episcopus illi pro hoc jure promitteret, se Beneficium proxime vacaturum collaturum ejus filio. Pontas.

**CASUS XXXVII.** Joannes obtinuit Beneficium mediante solutione præstita 100. imperialium; id ipsum confessus est, & etiam a censuris absolutus. An igitur tuta conscientia retinere potest Beneficium? Et si illud retinet, an facit fructus suos?

R. Quamvis Joannes in confessionali absolutus fuerit a censuris, tenetur tamen absolute sub mortali renunciare Beneficio, utpote simoniace obtento, nisi a Superiore novam obtinuerit collationem Beneficii. Tenetur etiam ad restitutionem fructuum, quos suos facere non potuit. *Si aliquis scienter & propria sponte simoniace accipiat ecclesiasticum Beneficium, ait S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. non solum privatur eo, quod accepit, ut scilicet Beneficium resignet cum fructibus inde perceptis, sed etiam ulterius punitur.* Idem dicendum de eo, qui proflus ignorans Simoniam obtinuit Beneficium simoniace v. g. machinationibus cujusdam tertii, ita ut nulla proflus culpa obtinenti imputari possit: quo in casu non tenetur quidem restituere fructus bona fide jam consumptos; tenetur tamen restituere adhuc exstantes. Pontas.

**CASUS XXXVIII.** Victorius pater Petri obtenturus filio Beneficium, infcio filio obtulit pecuniam collatori Beneficii: elapso anno rescivit Petrus Simoniam. An tenetur dimittere Beneficium, & novam provisionem Roma obtinere? an etiam censuras incurrit?

ꝛ. Cum Petrus commissæ a suo patre Simonie non fuerit particeps, non incurrit censuras; ipsius tamen provisio nulla est, & tenetur dimittere Beneficium; non quia eo indignus est, sed quia titulus, quem ad illud habet, nullus est. *Ad hoc quod aliquis privetur eo quod accepit, non solum est pœna peccati sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ; puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest.* S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. Interim non opus est, ut pro rehabilitatione Romam recurrat, hanc enim obtinere potest ab Episcopo, cum ipsemet non est Simonie reus. *Pontas.*

**CASUS XXXIX.** Urbanus presbyter ordinatus est per Simoniam se infcio a patre suo commissam. Lapsu temporis id comperiens potestne absque peccato exercere actus Ordinum?

ꝛ. Juxta D. Thomam l. c. non potest exercere actus Ordinum. *Si vero, ait S. Doctor, eo nesciente nec volente, per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret quidem Ordinis executione.* Ratio est; quia non potest licite retineri id, quod contra voluntatem Domini acquisitum est; sed cum aliquis Ordo mediante pecunia aquiritur, contra voluntatem Christi Domini aquiritur, qui expresse voluit, ut a suis ministris, qui sunt Episcopi, spiritualia gratis dispensentur. *Pontas.*

**CASUS XL.** Claudius legitimo ad quemdam Prioratum titulo jam per decennium gaudens alium Prioratum obtinuit simoniace. An ideo ipso jure utroque Beneficio privatur?

ꝛ. Aliqui Doctores tenent quidem affirmativam. Videtur tamen defendi posse negativam; & quidem 1. Quia Bulla Pii V. in hac materia non facit expressam mentionem de hoc; dein cum privatio sit lex pœnalis, restringenda est ad proprium suum sensum. 2. Inhabilitas & irregularitas post legitime obtentum Beneficium incurta non inducit vacationem illius ante sententiam judicis. 3. Non est recedendum a jure antiquo, nisi novum jus statuerit quidquam contrarium. 4. Constitutio Pii V. non obligat in foro interno nisi post sententiam judicis. 5. Cum agitur de lege pœnali, & lex non satis se explicat, benignius interpretanda est. Et demum 6. In dubio pœna in jure statuta non censetur incurri ipso jure ante sententiam judicis. *Pontas.*

CA

**CASUS XLI.** Gerundius jamjam eligendus ad quoddam Beneficium erat, cum Joannes ipius inimicus ex malitia dat aut promittit pecunias conferenti Beneficium pro Gerundo rei hujus infcio, ut tali modo ejus electio fiat simoniaca. & eo ipso reddatur indignus Beneficio. An tenetur renunciare Beneficio? Itemposito, quod Gerundius sciat Simoniam Joannis, attamen se illi opponat, & nullo modo in eam consentiat, an tenetur dimittere Beneficium sic collatum?

ꝛ. Juxta doctrinam S. Thomæ juste retinet Beneficium: Tenetur resignare Beneficium, ait l. c. nisi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit: tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi forte postmodum pacto consenserit solvendo, quod fuit promissum. *Pontas.*

**CASUS XLII.** Rollandus jam per triennium pacificus possessor est Beneficii occulta Simonia obtenti. Potestne uti privilegio triennalis possessionis? Et si illo uti non possit, & etiam dimittere teneatur Beneficium, an tenetur etiam ad restitutionem perceptorum fructuum Beneficii, cui per totum triennium sedulo interviit?

ꝛ. Quamvis possessio triennalis sub titulo colorato tollat omnes defectus, titulum reddentes illegitimum, juxta regulam de triennali possessione; excipitur tamen juxta eandem regulam casus Simonie, utpote criminis nimium detestabilis, quam ut excusari aut tolerari possit. Rollandus igitur tenetur dimittere Beneficium, etiam si per plures annos illud possedisset, & insuper restituere perceptos fructus. *Pontas.*

**CASUS XLIII.** Si Episcopus sit Simonie occultæ reus, eoquod cuidam parochiam contulerit pro summa 500. florenorum, debetne recurrere Romam, aut ad Metropolitanum pro absolutione a censuris, & dispensatione ab irregularitate, vel potest absolvi & rehabilitari a suo confessario?

ꝛ. Potest absolvi & rehabilitari a quocunque confessario, quem ipsemet in hunc finem elegerit. Ita Gregorius IX. in cap. *Ne pro dilatione.* fin. lib. 5. tit. 38. & Concilium Tridentinum sess. 2. c. 6. de reform. Idem jus etiam habet absolvendi, & rehabilitandi suos diocesanos in tali casu, sive in propria persona, sive per alium presbyterum, cui id commiserit. *Pontas.*

**CASUS XLIV.** Hubertus diaconus commisit Simoniam, utpote intentionem habens 100. imperiales donandi pro obtinendo Beneficio. Verum hæc Simonia tantum erat mentalis, & executioni non fuit data. An nihilominus subjacet pœnis in simoniacos latis?

F f a

ꝛ. Per

ꝛ. Per Simoniam pure mentalem non incurruntur poenæ in simoniacos latae; reus tamen est coram Deo. In foro externo igitur Hubertus non subiacet poenis, quæ incurrerentur, si ipse crimen Ecclesiae esset notum. *Quoad Deum sola voluntas facit Simoniam*, ait S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 6. *Sed quoad poenam ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus, ut abrenunciare teneatur, sed debet de mala intentione poenitere.* Et hæc est praxis Poenitentiarie ac Rotæ. Sufficit ergo, si Hubertus coram Deo poenitentiam agat de suo peccato. *Pontas.*

CASUS XLV. Evandrus dedit 20. aureos Bonaventuræ pro Capellania simplici: ast peracta poenitentia de hoc crimine Roma obtinuit novam provisionem, & a censuris absolutus est. Bonaventura pari modo absolutionem obtinuit, & etiam Evandro dictos 20. aureos restituit. An ambo securi sunt in conscientia?

ꝛ. Non censentur esse securi: restitutio enim viginti aureorum non debuisset fieri Evandro, sed Ecclesiae: huic enim tales restitutiones fieri oportet. Hinc si Evandrus negligat restituere hanc summam Ecclesiae, Bonaventura eandem summam Ecclesiae restituere tenetur. *Pontas.*

CASUS XLVI. Berchorius Religiosus oblata suis confratribus pecunia, emit eorum vota, ut Provincialis eligatur sui ordinis, quo etiam finem suum obtinuit. An ipso facto excommunicationem incurrit, licet Provincialatus non sit Beneficium?

ꝛ. Haud dubie eam incurrit juxta Constitutionem Pauli II. 1464. Illius igitur electio ipso jure est nulla, & tenetur renunciare suo officio. *Pontas.*

CASUS XLVII. Valerius Clericus tonsuratus annos 25 natus, sciens Regem in collatione Beneficiorum illos aliis præferre, qui ipsi a servitiis sunt, emit munus Eleemosynarii, aut primarii Capellani Regii hoc fine, ut successu temporis obtineat aliquam Abbatiam. An non duplicem commisit simoniam, nimirum *realem*, emendo munus clericale, & etiam *mentalem*, dictum munus emendo hac intentione, ut suo tempore obtineat Beneficium?

ꝛ. Si munus Eleemosynarii consideretur secundum se abstrahendo ab intentione ementis, videtur illud emi posse, supposito quod nihil spirituale annexum habeat: verum hoc ipsum suppositum difficultatibus obnoxium est. Quod attinet emptionem hujus muneris relate ad finem, distinguendum est cum S. Thoma quodlib. 8. q. 6. art. 11. inter duas intentionum species, *principalem* nimirum, & *secundariam*: illi, qui

quæ emptione talis muneris principaliter intendunt suis servitiis obtinere Beneficium, sunt æque simoniaci ac Canonici, qui solum ideo se Officio præsentem sicut, ut distributiones acquirat, & talis simonia a S. Gregorio & S. Thoma vocatur *munus ab obsequio*. Verum si tali emptione principaliter intendatur digna executio hujus officii, non sunt simoniæ rei emptione talis muneris, quamvis secundo etiam intendant obtinere Beneficium. His suppositis Valerius suam mentem examinet coram Deo, an emendo munus Eleemosynarii sciverit, se vi hujus muneris acquiraturum jus exercendi functiones spirituales aut ecclesiasticas, & an ipse, intentio principalis fuerit, tali ratione obtinendi Beneficium. *Pontas.*

NOTA. Circa ejusmodi intentiones potest una esse primaria ordine appetitionis *practica*, altera affectionis solum *speculativa*.

CASUS XLVIII. Theotimus emere volebat officium Capellani ordinarii Principis; sed monitus, id absque simonia fieri non posse, a proposito destitit: quærit tamen, utrum antiqua ac generalis consuetudo, vi cujus absque scrupulo hujusmodi officia emuntur, non excuset a simonia. Quid respondendum?

ꝛ. Capellani aulici tenentur missam celebrare coram Principe, idque vi officii sui: unde evidens est, Theotimum absque simonia non posse emere hoc officium, utpote pure ecclesiasticum. Idem dicendum de Clerico capellano, cujus officium pariter est spirituale, consistitque in eo, ut sacerdoti celebranti serviat ad altare, ad quod obeundum tonsura indiget. *Pontas.*

CASUS XLIX. Theotimus confitetur, se commississe simoniam emptione muneris Capellani Regii, & confessarius respondet, eum incurrisse ipso jure excommunicationem majorem; & propterea eum remittit pro absolutione obtinenda ad Episcopum. An confessarius bene respondit?

ꝛ. Juxta S. Beuve tom. 2. casu 53. excommunicatio ipso jure est solum de jure novo statuta tanquam poena simoniæ commissæ *in Ordine aut in Beneficio*, non vero pro simoniæ alio modo commissæ, ut in præsentis casu; hinc Theotimus non incurrit excommunicationem majorem ipso jure, nec ideo opus habet recursum ad Episcopum. Dein neque inhabilis propterea est ad hoc munus, quamvis simoniace obtentum, qualis tamen esset ad Beneficium, & exercitium Ordinis, si illud vel illum simoniace acquisisset: jus enim in tali casu, uti præsens est, nihil de inhabilitate dicit. Sufficit ergo, si suo ordinario confessario confiteatur peccatum em-

ptione dicti muneris commissum, & de eo poenitentiam agat. Per hanc responfionem tamen absit, ut præjudicetur censuræ latæ ab Urbano IV. ac corpori juris insertæ Cap. *Sano*. 1. Lib. 5. Tit. 1. Extrav. comm. *Tam dantes quam accipientes hujusmodi excommunicationis sententiis eo ipso decernimus subjacere, a quibus (præterquam in mortis articulo) absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali.* Pontas.

CASUS L. Sylvester recepit presbyteratum oblata in hunc finem pecuniæ summa, & hoc crimen confessus est, ac ab eo absolutus. Potestne celebrare missam absque scrupulo?

R. Ut licite possit missam celebrare, hand sufficit confessio: per Simoniam enim incurrit excommunicationem majorem, suspensionem & interdictum, ut declaravit Paulus II. Cap. *Cum detestabile*. 2. Lib. 5. Tit. 1. Extrav. comm. Antequam igitur Sylvester absolvatur a peccato, absolvendus est a censuris. Pontas.

CASUS LI. Præses conferentiarum ecclesiasticarum dicecesis Rupellenfis in prima conferentia proposuit hanc quæstionem: an Papa plenitudine suæ potestatis possit tollere omnem Simoniam, ita ut licitum reddatur ipsius autoritate & dispensatione, quod alias fieri non posset absque Simonia. Quid respondendum?

R. Omnes Theologi in eo conveniunt, Papam non posse omni suæ potestatis plenitudine tollere omnem Simoniam; quia id, quod jure naturali & divino in puncto Simonie illicitum est, licitum reddere non valet: hoc tamen jure gaudet circa Simoniam, quæ est juris ecclesiastici. Jus naturale & Divinum fundatur in justitia naturali, & voluntate Divina a nullo hominum mutabil; jus vero humanum ecclesiasticam, aut civile solum fundatur in voluntate hominis legem ferentis, quæ utique mutationi obnoxia est. S. Thomas 1. 2. q. 97. art. 3. c. Pontas.

CASUS LII. Nicasius & Ægidius, uterque Sacerdos, ambiunt officium Sacristiæ cujusdam ecclesiæ parochialis; cui tamen officio annexa est obligatio curæ infirmorum. Tandem Ægidius cum Nicasio convenit hoc modo, quod ipsi vellet procurare hoc officium hac conditione, ut sibi modicam pensionis, aut redditum portionem relinquat. Quæritur 1. an peccarint per ambitionem, & 2. an Simonie sint rei, & 3. an censuras incurrerint?

R. Non potest licite ambi officium, cui annexa est administratio Sacramentorum. Hinc Nicasius & Ægidius a peccato excusari non possunt. 2. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 6 c. eorum conventio est simoniaca. 3. Nec tamen incur-

currerunt ullam poenam canonicam; quia poenæ contra simoniacos latæ de jure non incurruntur, nisi solum ab his, qui Simoniam commiserunt in Ordine aut in Beneficio. Pontas.

CASUS LIII. Sabinianus parochus a Sylvio petenti, ut in vicarium reciperetur, petiit 60. aureos; & his solutis eum recepit. Numquid uterque Simonie reus est?

R. Certum est, utrumque commisisse Simoniam: Paschalis Papa enim Can. *Si quis*. 7. 1. q. 3. non solum condemnat eos, qui emunt Beneficium, sed etiam eos, qui emunt rem ecclesiasticam qualemcunque. Pontas.

CASUS LIV. Capitulum quoddam suscepit & suo aggravavit collegio duos Clericos supernumerarios contractu publico, nimirum, ut quam primum vacaverit locus in Capitulo, isti suo ordine succederent in præbendam vacantem, & de redditibus, emolumentis, & officiis participarent; hac tamen conditione, ut uterque in die suæ receptionis Canonicis solvat summam 100. flor. Quæritur jam 1. an iste contractus sit simoniacus. 2. an etiam simoniacus sit, si dicti 100. floreni pro augmento reddituum ecclesiæ fuerint exacti. 3. An Canonici dictos Clericos possint excludere a participatione omnium emolumentorum, reddituum, & officiorum suæ ecclesiæ ratione conditionis ipsi propositæ, & ab illis acceptatæ. 4. Posito quod dictus contractus sit simoniacus, an ideo præbendæ Canonicorum sint subjectæ devolutioni. 5. An etiam Beneficia, quæ isti Canonici postea consequerentur, subjaceant præfatæ devolutioni? 6. An, si contractus est simoniacus, sæpius memorati Clerici a Capitulo expellendi, & eorum locus in Capitulo pro loco vacante habendus sit.

R. ad 1. Contractus, ejusdemque executio simoniaca est. Ratio est; quia incorporari cuidam ecclesiæ ad exercendas ecclesiasticas functiones cum jure succedendi in præbendam primo vacaturam est res pure spiritualis. Ad 2. Simoniacus foret contractus, etsi exacta pecunia cederet in augmentum reddituum ecclesiæ; quia nunquam licet vendere rem spiritualem, sub quocumque demum prætextu. Ad 3. Canonici dictos Clericos excludere possunt ab omnibus redditibus ecclesiasticis, utpote non nisi supernumerarios. Ad 4. Præbendæ Canonicorum non subjacent devolutioni; eo quod Simonia eorum non respiciat Beneficium. Ad 5. Idem dicendum de Beneficiis, quæ Canonici postea consequerentur. Ad 6. Duo Clerici expellendi sunt a Capitulo tanquam indigni, utpote recepti modo illegitimo, & con-

tractu ipso jure nullo; propterea tamen non sunt inhabiles ad Beneficia postmodum obtinenda. *Pontas.*

**CASUS LV.** Fabianus parochus pro administratione Sacramentorum recipit pecunias. Num Simoniam committit? Peccantæ etiam dantes pecuniam?

*R.* Juxta S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 1. C. absque Simonia Sacramenta non possunt conferri pro pecunia: qui enim dispensat Sacramenta, non est eorum dominus, sed solum minister; nec gratia est pretio æstimabilis: & hinc Sacramenta gratiæ pro pecunia venalia exponere simoniacum est. Hoc non obstante potest citra Simoniam quidpiam recipi in sustentationem eorum, qui ministrant Sacramenta; idque legibus Ecclesiæ, ac receptæ approbatæque consuetudini conforme est, ut idem S. Doctor advertit 2. 2. q. 100. art. 2. C. Hinc si Fabianus consuetam pecuniam ut justam recompensationem ministerio suo debitam recipiat, Simoniam non committit. Idem dicendum de stipendio, quod pro missa offertur, ut docet idem angelicus Doctor 2. 2. q. 100. art. 2. ad 6. Ex eadem ratione parochus pro benedictione nuptiali licite recipit, quod a consuetudine vel ab Episcopo determinatum est; maxime cum matrimonium etiam considerari possit ut contractus civilis & officium naturæ. *Pontas.*

**CASUS LVI.** Jacobus parochus infantem baptizare recusat, nisi prius sibi solvantur consueta pro baptismo. An absque Simonia dari potest, quod petit? Et si non potest, an in tali casu infans baptizari potest a laico primum obvio, etiam in præsentia parochi?

*R.* Juxta S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 2. ad 1. Cum non liceat dare pecuniam tanquam pretium Sacramenti baptismi, in præsentia casu idem agendum est, ac si parochus præsens non esset; hinc si infans baptizandus in periculo mortis versaretur, baptizari deberet a primo occurrente, etiam præsentente parocho: si vero omne periculum abesset, recurrendum prius foret ad Superiorem. Addit S. Doctor in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. q. 5. ad 2. *Possit tamen licite aquam a sacerdote emere, quæ est purum elementum; quia aqua non est sacrum quid: sed & si sit sanctificata, non operatur ad baptismum de necessitate ejus existens, quasi sanctificata, sed quasi aqua; & ideo non emit aquam sanctificatam, sed aquam.* *Pontas.*

*Nota.* Parochi tenentur prompte administrare Sacramenta, quin anticipato possint exigere consueta, primum sublequenter pro eorum sustentatione contribui solita.

**CASUS LVII.** Riberius presbyter, cui a dicecesano Episcopo commissum erat absolvere Fabium a censuris, ante absolutionem ab eo exegit quamdam pecuniæ summam. Estne Simonia reus?

*R.* Haud dubie Simonia reus est, si hanc summam exegerit pro gratia absolutionis; si vero eam exegerit tanquam multam pecuniariam, ad quam Fabius tenetur ob suum peccatum, non commisit Simoniam. S. Thomas. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 2. Interim S. Doctor hanc praxin non esse approbandam docet.

**CASUS LVIII.** Polichronius Episcopus, a suis dicecesanis pro qualibet dispensatione, quam eis concedit, exigit imperialem, quandoque etiam plus. Potestne id facere absque Simonia?

*R.* Absque Simonia pro concessione dispensationis non potest quidpiam exigi. *Pro certo statuendum est, ait Cabassutius L. 5. c. 6. n. 6. nihil posse exigi vel dari in pretium dispensationis, nec summo ipsi Pontifici; cum dispensatio sit actus ecclesiasticæ & spiritualis potestatis, quæ non potest citra Simoniam juri divino oppositam pecunia compensari.* Concilium Tridentinum prohibet Episcopis quidquam recipere pro dispensationibus. Nihilominus dispensationem petentibus licet imponere taxam ad præscriptum rationis & æquitatis compositam, applicandam tamen in utilitatem ecclesiæ, aut subsidium pauperum. *Pontas.*

*Nota.* Hic modus loquendi: exigi aliquid pro dispensationibus, est scandalosus: dicendum potius; exigi solutionem taxæ pro sustentatione ministrorum & tribunalium. Ponere autem taxam invitis pro subsidio pauperum vel ecclesiæ nec decet nec licet. Mos iste, ubicunque viget, est prorsus abolendus: neque enim actus ordinis, vel jurisdictionis ecclesiasticæ ultra sustentationis congruæ subsidia sub tributo poni decet.

**CASUS LIX.** Sanctius Doctor Theologiæ ab Episcopo ad examinandos Clericos ad parochias aspirantes constitutus, sæpe recepit ab examinatis imperialem in compensationem temporis & laboris a se impensæ. An reus est Simonia?

*R.* Absque Simonia nec ante, nec etiam post examen recipere potuit pecuniam istam; immo juxta Concilium Tridentinum commisit Simoniam realem. *Caveantque examinatores, inquit Concilium, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante nec post accipiant: alioquin Simonia vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocunque etiam ante obtinebant; & ad alia in posterum inhabiles reddantur.* *Pontas.*

**NOTA.** Episcopus habens pingues redditus tenetur ex suis redditibus constituere sufficientis numeri idoneos ministros. Væ illis in iudicio Dei, qui redditus episcopales in usus profanos infundunt, & ministris congrua salaria non præbent, sicque eos ad quærendas ejusmodi fordidas sportulas cogunt.

**CASUS LX.** Eustratius presbyter calicem habens, ejus pretium est 105. florenorum; & hunc vendidit Hieronymo pro 115. florenis, quia consecratus est, & si consecratus non esset, Hieronymus iter decem leucarum suscipere deberet, ut consecrationem ejus procuraret. Estne hæc venditio simoniaca?

ꝑ. Eustratius commisit Simoniam, & quidem realem jure divino prohibitam. *Vasa sacra*, ait S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 3. ad 1. *nullo modo ratione consecrationis vendenda sunt, ut scilicet pro consecratione eorum aliquid plus excipitur.* Pontas.

**CASUS LXI.** Calippus obtenturus Reliquiarium argenteum Sanctorum reliquiis refertum, quod Nutelius possidet, dedit ei pro illo duos aureos. An hæc venditio simoniaca est?

ꝑ. De hac venditione Idem dicendum, quod prius dictum est de venditione sacrorum vasorum: absque Simonia pro talibus rebus non potest recipi aut donari nisi justum pretium ipsius materiæ. Interim tamen Doctores in eo generaliter conveniunt, quod nimirum liceat emere reliquias ab hæreticis vel ethnicis, ut ex manibus infidelium eripiantur. Pontas.

**CASUS LXII.** Germana recepta in monasterium valde opulentum debuit pro expensis in novitiatu factis solvere dicto monasterio 115. florenos. An non intervenit Simonia?

ꝑ. Non intervenit Simonia: Novitius enim aut Novitia non habet jus exigendi sustentationem suam expensis monasterii, etiam si divitis. Concilium Tridentinum Sess. 25. *de regular. & monial. c. 18.* dum prohibet ante professionem aliquid recipi, excipit expensas pro novitiatu factas. Pontas.

**CASUS LXIII.** Auberga susceptionem in monasterium Ordinis S. Bernardi petens recepta est a Superiorissa & tota communitate, quæ tamen cum ipsius patre istum inire contractum: 1. Ut ultra pensionem 150. florenorum pro novitiatu teneatur pater etiam solvere expensas in medicum, & medicamenta, si forsan durante novitiatu ægrotaret filia. 2. Si tempore novitiatus ipsius filia moreretur, alios 150. florenos solvat pater pro expensis in infirmitate filiæ factis, & pro funeralibus. An hic contractus simoniacus est?

ꝑ. Iste

ꝑ. Iste contractus absolute immunis est a simonia, cum in nullo puncto respiciat receptionem Aubergæ ad professionem solemnem in religione. Pontas.

**CASUS LXIV.** Petronilla aspirans ad monasterium valde opulentum obtulit Superiorissæ omnia sua bona, nimirum fundum, cujus annui redditus sunt 500. floreni; & consensu unanimi recepta est in monasterium, & finito novitiatu admissa est ad professionem solemnem. An intervenit in hoc casu simonia?

ꝑ. Si intentio Petronillæ, & eam recipientium pura, justa & recta sit, non intervenit simonia; Ecclesia enim nunquam prohibuit monasteriis accipere quidquam voluntarie oblatum ab iis, qui religionem ingredi cogitant. Verum personæ, quæ tales donationes faciunt, non possunt stipulari, ut oblationes a se factæ sequantur professionem in alium forsan conventum post professionem mittendam. Pontas.

**CASUS LXV.** Euprepia Novitia ad professionem non est admissa, nisi promissa summa 1000. imperialium, quam etiam solvit. An commisit simoniam?

ꝑ. Juxta S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 7. si monasterium non habeat sufficientes opes ad sustentandas plures professas, tunc potest exigi a professoris aliqua pecunia, non ratione professionis quod foret simoniacum, sed ut habeat monasterium, unde eas sustentare possit. Hoc supposito hujus puellæ ingressus in religionem est simoniacus, si monasterium aliunde bona possideat sufficientia ad sustentandas plures professas, & tamen petitos 1000. imperiales solvit. ut clare decisum est in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. Cap. *Quoniam.* 40. Lib. 5. Tit. 3. Observandum hac in re 1. quod omnes Superiorissæ monialium, sive earum monasteria sint exempta sive non, teneantur figure numerum monialium ad proportionem reddituum & eleemosynarum, quas annuatim percipiunt, & ex quibus honeste pro decentia status sui vivere possunt, ut in pluribus Conciliis constitutum est, maxime Arelatenfi de anno 813. 2. Ut sanum de paupertate vel opulentia monasterii iudicium ferri possit, deducendæ sunt omnes expensæ superflue non solum in ædificia, ac commoditates inutiles, sed etiam in cibum & potum, in mobilia domus & sacristiam; etsi hisce deductis solum remanent necessaria ad nutritionem ac sustentationem jam receptorum, nec superfit, unde monasterium alere possit de novo ingressum petentes, vere dici potest, monasterium esse pauper; quod tamen hisce deductionibus non factis cer-

to

to dici non potest. Hac computatione ponderata si vacat locus, non potest admissio denegari puellæ ingressum petenti, etiam si nec ullam dotem nec pensionem secum ferret. Si vero numerus monialium, quæ ex redditibus monasterii alii possunt, jam sit completus, & puella recipi petat ut supernumeraria, non datur obligatio eam recipiendi, potestque Superiorissa, etiam inconsulta communitate ipsi dare repulsam, nisi offerat sufficientem pensionem vitalitiam, ne monasterio sit oneri. Dicitur, *vitalitiam*; quia juxta D. Thomam 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. simoniacum foret exigere nimis amplam aut omnino perpetuam. Denique ut tuta conscientia quantitas pensionis determinari possit, inspiciendæ sunt rationes præteritorum annorum, id est, expensæ annis præteritis factæ in quamlibet monialium decenter sustentandam. *Pontas.*

CASUS LXVI. Dionysius dedit 1000. imperiales, qui ab eo exigebantur, ut ad professionem admitteretur in quodam monasterio sufficientibus redditibus vi foundationis prædico; cujus tamen varia ædificia valde reparatione indigebant, ad quam faciendam dicta summa destinata erat. Dionysius igitur bona fide agens ab omni peccato se immunem esse credidit, præsertim cum sciret, neminem in dictum monasterium admitti, nisi secum dotem aliquam afferret, & etiam in aliis monasteriis talem esse praxin. An simoniæ reus est non obstante bona fide?

ꝫ. Dionysium bona fides, quæ in consuetudine hujus & aliorum monasteriorum, & necessitate faciendæ ædificiorum reparationis nitebatur, excusat a peccato mortali, consequenter etiam ab excommunicatione majori. *Anathema est æternæ mortis damnatio*, ait Concilium Meldense de anno 845. Can. Nemo. 41. II. q. 3. *Et non nisi pro mortali debet imponi crimine, Et illi, qui aliter non potuerit corrigi.* *Pontas.*

NOTA. Ingens discrimen faciendum est inter monasteria Ordinum clericalium pro directione animarum in parochiis, seminariis, cathedralis, professoris, missionibus, confessionibus &c. fundatorum, & inter monasteria religiosorum maxima parte sibi solis & Deo vacantium. Peccant mortaliter, qui in monasterio, vel Ordine clericali intuitu emolumenti temporalis dant votum Novitio ad functiones clericales parum habili præ eminenter aptiore.

CASUS LXVII. Domitilla Novitia ante professionem rogabat patrem, ut de sua dote cum monialibus tractet. Pater aliquam pecuniæ summam obtulit monialibus, quæ tamen cum illum opulentum esse virum nosset, & eum maxime desiderare, ut filia monialis fiat, scirent, non solum obla-

oblatam summam non acceptarunt, sed etiam duplo majorem, quam alias exigere solebat, exigunt dotem. Pater Domitillæ perbene scit, dictas moniales incursum simoniam ac mortaliter peccaturas, si petita reciperent. An & ipsemet sese reum faceret simoniæ, si nihilominus exactam daret summam?

ꝫ. Sacri Canones simoniacum in religionem ingressum prohibentes tam dantes quam accipientes pecuniam simoniæ reos declarant, cujus etiam ambo coram Deo rei sunt. Hinc patet, patrem una cum monialibus, si dictam summam daret, fore simoniæ reum. *Pontas.*

CASUS LXVIII. Ambrosius plurimum valens apud Gustavum primarium Aulæ ministrum, magna apud Regem auctoritate pollentem, rogat eum, ut suæ filiæ receptionem in monasterium, aut filio suo Abbatiam, ad quam nominandi jure Rex gaudet, procurare vellet, ipsique satis aperte indirecte innuit, se ipsi donaturum quamdam imaginem pictam 200. aureis æstimatam, quam cupide appetit. Gustavus votis Ambrosii satisfecit, & dictam obtinuit imaginem. An tuta conscientia imaginem acceptare potuit Gustavus? Et si non potuit, teneturne eam restituere Ambrosio?

ꝫ. Utriusque agendi ratio est simoniaca; quia intercessit inter eos pactum saltem tacitum, per oblationem picturæ ab Ambrosio factam, & a Gustavo acceptatam executioni datum. Hinc Gustavus tenetur restituere picturam aut justum ejusdem valorem, non Ambrosio, qui per simoniam jure suo excidit, sed pauperibus aut ecclesiæ, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 1. De cætero notandum, quatuor modis committi posse simoniam. 1. A conferente Beneficium & eo, cui confertur; si nimirum hic collatori dat pecuniam, aut aliud æquivalens, ut sic ab eo obtineat Beneficium. 2. Quando collator confert Beneficium pro pecunia, aut alia re temporali, quam recipit a quodam tertio, etiam inscio eo, cui Beneficium confertur. 3. Committitur simonia a solo obtinente Beneficium, si etiam inscio collatore offert pecuniam aut temporale quid cuidam tertio, qui procuravit sibi Beneficium. 4. Denique quando amicus aut consanguineus impetrantis Beneficium dedit pecuniam aut aliud temporale amico vel consanguineo collatoris. *Pontas.*

NOTA. Cum intercessio ministri ad Regem se habeat per modum precatationis pauperum ad Deum, non videtur, Ambrosium esse simoniæ reum. Vide *Casum sequentem.*



**CASUS LXIX.** Justina habens actionem in judicio, cum tempus ferendæ sententiæ instaret, quibusdam pauperibus, in quorum pietate confidebat, erogavit eleemosynas hac conditione, ut Deum quotidie pro felici successu suæ actionis precetur. An in hoc casu aliqua datur species simoniæ?

R. Certum est juxta S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 9. cum oratio sit quidquam spirituale, eam pretio pecuniæ nec emi nec vendi posse: nihilominus tamen potest aliquis largiri eleemosynam alicui alteri, ut ejus particeps fiat orationis: eleemosyna enim, quæ datur pauperibus, non ideo datur, ut oratio quasi ematur; sed ut animus pauperum provocetur, ut gratis, & libentius orent pro elargiente eleemosynam, ut idem S. Doctor advertit 2. 2. q. 100. art. 2. ad 3. Justina igitur nullam prorsus in hoc casu commisit simoniam. *Pontas.*

**CASUS LXX.** Balduinus judex convenit de quadam pecuniæ summa, eamque recipit pro ferenda sententia. An reus est simoniæ? An idem dicendum de teste, qui pro suo deponendo testimonio pecuniam recipit; aut de *Advocato* pro defensione causæ, & dato consilio pecuniam exigente?

R. Judex tenetur *ex officio* iudicium ferre, & reddere justitiam, cui illa debetur; hinc Balduinus, si judex est in spiritualibus, absque simonia non potuit vendere suum iudicium. 2. *Testis* tenetur in conscientia deponere testimonium, si ad id judicialiter est requisitus, qua propter simoniæ reus est, si in spiritualibus testimonium suum vendat. 3. *Advocatus* non tenetur causæ gratis præstare suum patrocinium, aut dare consilium, ut docet S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 9. Nihilominus juxta eundem S. Doctorem 2. 2. q. 71. art. 4. ad 3. potest testis juste aliquid petere, non ut pretium pro testimonio & asserta veritate, sed ut salarium pro itinere & impenso tempore: *Testes accipiunt, ait, non quasi pretium testimonii, sed quasi stipendium laboris, expensas vel ab utraque parte vel ab ea, a qua inducuntur; quia nemo militat stipendiis suis unquam, ut dicitur 1. Cor. 9. Pontas.*

**CASUS LXXI.** Quidam Nobilis rusticum quemdam urgebat, ut fundum suum conduceret, addito promisso, filium ipsius spem habiturum obtinendi Beneficii proxime vacaturi, si pretium conductionis, quod petit, solvat.

R. Uterque simoniæ reus est, Nobilis & agricola, imo & filius ipsius, si conventionis hujus notitiam habuit, & antequam Beneficium consequeretur, in eandem consensit. Si autem filius rem plane ignoravit, nec excommunicationem

nem nec cæteras pœnas incurrit; licet ejusdem provisio sit nulla, & ad omnium fructuum perceptorum, in quantum inde ditior evasit, restitutionem teneatur. *Fromageau.*

**CASUS LXXII.** Canonicatus vacans in quadam cathedrali ecclesia promissus est cuidam hac conditione, ut duas Capellanas, quas habet, resignaret alii, qui, cum sit *graduatus*, jus habet ad dictum canonicatum.

R. Ista conditio simoniaca est; interim nominatus ad hunc canonicatum potest eum retinere, si, dum ejus possessionem sumpsit, conditionem præfatam ignoravit; duas tamen suas capellanas non debet dimittere: hoc enim idem esset, ac factam conventionem approbare. *Fromageau.*

**CASUS LXXIII.** Possuntne fieri foundationes conditionatæ?

R. Jure ecclesiastico rejiciuntur tanquam simoniacæ; hinc etiam permittæ non sunt. *De Lamet.*

NOTA. Si in conditionem veniat pactio curæ animarum episcopalis, aut pastoralis, recte rejicitur tanquam simoniaca jure divino. Si autem pactio versetur circa Beneficium simplex, simonia est tantum juris ecclesiastici, dispensabilis ab Episcopis ultramontanis. Vide cas. 25.

**CASUS LXXIV.** Sigardus parochus scit, collatorem parochiæ sperare ac præstolari pro collatione aliquam remunerationem. Potestne parochus absque simonia indirecte innuere, eam se facturum?

R. Neutiquam id signo etiam obscurissimo indicare potest; imo quamvis hæc collatoris præstolatio primum post collatum jam Beneficium parochi innotuisset, nec tunc aliquam ipsi remunerationem offerre posset, ne simoniacæ collatoris intentioni assensum præbere videatur. *Fromageau.*

**CASUS LXXV.** Asterius fundavit capellam, aut saltem ad ejusdem foundationem ac dotationem multum contribuit hac conditione, ut primus titulum ad eam obtineret. Estne simoniæ reus?

R. Cum Asterius dederit temporale, ut consequeretur spirituale, absque dubio simoniam, & omnes pœnas in simoniacos latas incurrit. *Fromageau.*

**CASUS LXXVI.** Potestne tuta conscientia ambiri dignitas ecclesiastica, cui annexum est imperium temporale independentis?

R. Nunquam licet ambitione querere dignitates sive sæculares sive ecclesiasticas, etiam si istæ solum ambiantur intuitu